

Theodor Fritzsche

**Nuptias Wladimiri Alexandrowitsch Principis Magni Potentissimi Russiae
Imperatoris Filii Augusti Et Mariae Principis Megapolitanae Suerinensis Die
XXVIII. M. Augusti A. MDCCCLXXVIII Petropoli Celebrandas Bonis Votis
Prosequuntur Scholae Cathedralis Gustroviensis Rector Et Magistri**

Rostochii: Typis Academicis Adlerianis, [1874]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1041392915>

Druck Freier  Zugang  OCR-Volltext



D34

NUPTIAS

WLADIMIRI ALEXANDROWITSCH

PRINCIPIS MAGNI

POTENTISSIMI RUSSIAE IMPERATORIS FILII AUGUSTI

ET

MARIAE

PRINCIPIS MEGAPOLITANAE SUERINENSIS

DIE XXVIII M. AUGUSTI A. MDCCCLXXIII

PETROPOLI CELEBRANDAS


BONIS VOTIS PROSEQUUNTUR

SCHOLAE CATHEDRALIS GUSTROVIENSIS

RECTOR ET MAGISTRI

INTERPRETE

D. THEODORO FRITZSCHE.



dmetus olim cum Calydonio
Monstro subacto Colchide Jasonem

Fortem secutus vellus auro
Conspicuum retulisset audax,

Oras Jolci visit et hospitae,
Pugnaeque et armorum immemor et viae,
Exarsit Alcestes honestis
Ignibus. Hanc, nisi aprum domaret

Saevum et leonem sub iuga aenea
Amator, asper tum renuit parens
Taedae iugali. Sed Pheretis
Gnatus et impositos labores

Exegit aequo non sine Apolline
Et conglobatos per thalamum furens
Disiecit angues, ut puellam
Duceret ad patrios penates.

Illique, fortem dum sequitur virum,
Dumque ipsa maerens excutit ultimos
Maerentis amplexus parentis,
Rore madere genas videres

Tristi decoras. Sed minuit gravem
Sponsus dolorem sospes ab exitu
Laetansque rex uxore dulci
Et populus domina Pheraeus.

Longos per annos — sic placitumst diis —
Vixere laeti sorte sua bonus
Admetus Alcesteque, ut illis
Non magis invenias beatos.

Nunc TU, WLADIMIR, maxime principum,
Olim procis quod Thessalus impigris
Praeivit exemplum secutus
Transvehis in patriam MARIAM,

Nostram MARIAM, principis optimi
Prolem maritus, Gratia cui decens,
Castus Pudor constans Fidesque
Perpetuae comites fuere.

Dumque illa magnum tendit iter, patre
Stipata caro fratribus ac bonis,
Et figit infanti sorori
Oscula cum lacrimis, futura

Quidnam voluent tempora lugubrem
Mentem represso consilio subit,
Supplexque ut aetatis peractae
Prosperitas maneat precatur.

At TU futuri temporis exitum
Horrere noli: non trepidam decet
Sperare victoris parentis
TE subolem properantis aevi

Regale munus. Certus amor manet
Celsi maritam coniugis Optimam,
Jam TE salutant Imperator,
Russia cui paret ampla iusto,

Augusta iamiam TE socrus, et suam
Spondent futuram TE: simul et domus
Regalis aulae pandit aurum
Marmoreaeque micant columnae.

Sic qui caducas res hominum regit
Servet benignus TE Deus et domum;
Coelumque dum mutas, Tuorum
Usque animum memorem tenebis!

At TU futuri exitum
Horrere noli: bidam decet
Sperare victoris
TE subolem is aevi

Regale munus amor manet
Celsi maritatus Optimam,
Jam TE saluator,
Russia cui pro a iusto,

Augusta iam ocerus, et suam
Spondent futura: simul et domus
Regalis aulae aurum
Marmoreaeque columnae.

Sic qui cadunt ominum regit
Servet benignus deus et domum;
Coelumque datus, Tuorum
Usque animi rem tenebis!